Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35426
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



videlicet. vt qui commune habebant graciam communionem haberent substanciam, in quibus erat unus spiritus: esset et sumptus. Sicut autem dictum est liberaliter. quia hilarem datorem diligit deus Libenter aeterne terrena dare vt possimus celestia comparare Regnum enim celorum tantum valet: quantum habes. Nihil vilius cum emitur: nichil preciosius cum possidetur. Duo sunt que relinquere oportet propter deum. facultatem scilicet possidendi et voluntatem habendi. Hic est quod dominus ait in euangelio. Qui non renunciaverit omnibus que possidet: non potest meus esse discipulus. Et iterum. Qui vult post me venire: abneget semet ipsum. Illud pertinet ad substanciam: hoc ad voluntatem. Non enim sufficit exteriora

nisi interiora abscidamus concupiscencias. Tu autem domine. Lectio

Qui autem nihil habebant non ea querant in monasterio que nec foris habere potuerunt.

Sciant illi qui nihil habebant foris. habent iterum quod relinquere possunt propter deum scilicet voluntatem habendi. Sicut scriptum est. Non concupisces. Plus enim attendit deus affectum: quam censum. Hic per sapientiam dicitur. Fili da mihi cor tuum. Quod utique fieri non potest. nisi prius carnalis voluptas resecetur. Primum ergo iuxtim habita deserere. deinde terrena non querere: vt per hunc modum liberius ad celestia possimus anhelare. Invicem pauperibus seculi qui ad christum conuertuntur necessaria non debent ministrari. Quia nihil querere in monaste